



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CLVII. De Combustione Hospitalis Thoruniensis & impugnatione
Civitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

250 PARS TERTIA

*Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. in Prussia.*

set. Sed Prutheni qui hujus consecrationis præconizationem intellexerant, congregato exercitu, populum post consecrationem residentem hostiliter invaserunt. Et interfectis viris, mulieres captivas & parvulos deduxerunt.

CAP. CLVII.

De

*Combustione Hospitalis Thoruniensis
& impugnatione Civitatis.*

Hoc etiam tempore Sudovitæ cum majori exercitu, quam antea visus fuit in Pruschia, intraverunt terram Luboviæ, & castrum & Civitatem ejusdem nominis funditus destruxerunt. Deinde circa castrum Straisberg manentes, terram Colmensem diviso exercitu præoccupaverunt plura castra, ut populum ad ea configuentem occiderent & captivarent. Posthac venerunt Thorun & Hospitale & quicquid fuit extra muros quod igne consumi potuit cremaverunt. Tandem venientes ad civitatem Colmensem ipsam per diem & noctem fortissime impugnaverunt, licet nihil proficerent, civibus se viriliter defendentibus ex adverso. Sic dum dictam terram per dies quatuor devastassent, cum inestimabili spolio hominum, equorum, pecorum & aliarum rerum recesserunt. De hoc exercitu quidam vir fortis de Sudovia in mulierem Christianam, quæ hoc tempore configuerat ad paludem, secutus fuit, & dum eam yellet trucidare, illa fragilitate sexus sui oblita viriliter restitit, de quo ipse indignatus, pollicem ei cum dentibus præcidit ; illa è contraprovocata in iram cum luto os ejus & aures implens penitus suffocavit.

CAP.

